

strina in se impia est, omnem religionem primumque obligationis omnis fundamentum tollit, adeoque directè & per se ad impietatem ducit. *Conf. Jac. III. II. 12.* Qualis enim causa, talis & est effectus. Non poterit dici, Atheismi quàm talis actiones non equidem per se bonas, attamen etiam non per se necessariòque malas esse, cum dentur actiones etiam indifferentes. Quantumlibet enim omninò concedendum sit, actiones quasdam, in se quando spectantur, indifferentes dari; quam etiam concedi possit, Atheos nonnunquam agere, quæ in se nec bona nec mala sint; non tamen ea heic attenduntur. Præterquam enim, quod actiones in se indifferentes, quando sub circumstantiis in singulari spectantur, ut moraliter bonæ, sic & moraliter malæ fieri possint; quæstio hic tantum est de actionibus malis in oppositione adæquatâ ad actiones probas, exclusis indifferentibus, quomodo Christus easdem immediatè sibi opponit *Matth. XII. 33.* *Aut facite arborem bonam & fructum ejus bonum; aut facite arborem putrem, & fructum ejus putrem. Ex fructu enim cognoscitur arbor.*

## §. VI.

Et quidem neminem puto negaturum, Atheismum peccato corruptæ hominum naturæ deberi, naturam autem corruptam ad quævis mala hos impellere, ita ut, quatenus corrupta est, ad mala quævis hominem non incitare non possit, *Gen. VI. 3. 5.* *Matth. XV. 19.* Ratio datur *Joh. III. 6.* quia, quod ex carne natum, caro est: Unde & non solum omnes filii iræ naturâ, sed & à Spiritu S. nondum renati, quales à naturâ sunt, & corruptam naturam impellentem sequentes, in concupiscentiis carnis suæ conversari, ac facere voluntates carnis & cogitationum, *Eph. II. 3.* dicuntur. Quælibet verò naturam corruptam non per accidens demum, aut ex abusu, sed directè, per se ac necessariò operari, qui diffeffurus sit, opinor, nemo erit. Ex quibus igitur conclusio facilis erit: Si natura corrupta, ergo & pessimus ejusdem effectus, Atheismus, hominem ad quælibet flagitia vitæque improbitatem non allicere non potest, adeòq;  
non